



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118278

§. 11. Legatio pro concordia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

proximo per Urbanum VI Archiepiscopus Sæcul. XIV. A. C. 1396.
 Eboracensis factus, post mortem Guilielmi Curtiniacensis postrema Julii an. 1396
 obitam per Bonifacium IX sub Natalem p. 56.
 Christi translatus Cantuariam mox Angliæ Cancellarii munus deposuit; & literis translationis 11 Jan. 1397 promulgatis 19. Febr. solemniter in nova sede sua collocatus fuit. Ita videtur difficile, Concilium propositiones Wicleffi eo Præsede damnans fuisse congregatum anno 1396. p. 175.

Utcunque sit, ex mandato ejus, & *Fasci. rer. paulo post damnationem decem & octo punctorum factum est, ut horum confutationem ipsi mitteret Guilielmus Videfordius.* exp. fol. 96. Vading. scriptor. p. 157. Erat in Universitate Oxoniensi Theologiæ Doctor ex Ordine Minorum, natione Anglus, & singularem operam dedit Wicleffi erroribus oppugnandis. Id per auctoritates sacri codicis, & Patrum fortissime agit in hoc opere, quod ex optimis est hac de materia compositis. Author decessit eodem anno 1397, multaque alia scripta reliquit.

§. XI.

Legatio pro concordia.

Interea initis Franciam inter & Angliam induciis Rex Carolus suam filiam Isabella Juven. Urs. p. 114. 178.
 bellam Regi Richardo despondit per pa-

Kk 2

ctio-

Sæcul. XIV. ctionem confectam 9 Martii an. 1395.
A. C. 1395.

Labour.

p. 339.

quo Richardus promisit fore, ut desineret stare a Papa Bonifacio, & hunc æque ac Benedictum impelleret in viam cessionis. Ideo duobus æmulis litteras scripsit communes, & in sola inscriptione diversas: nam Bonifacium vocabat Papam, Benedictum duntaxat Cardinalem. Ambos orabat, ut ingrederentur cessionis viam, auscultarent epistolæ latorem (erat Abbas Westmonasteriensis) ac responsum redderent intra festum S. Magdalene diem 22 Julii anno 1396. Abbatem peragrata Francia Avenionem delatum noluit audire Benedictus, ni haberet ipsi honores Papæ debitos: tum ille sibi non ultra procedendum ratus in Angliam revertit.

Rayn. 1396. Benedictus Romam misit Legatos quatuor, scilicet Episcopum Bartholomæum nomine, Dominicum Masconem Doctorem Legum, Petrum Garfiam, & Bartolinum Rustigium. Hi Fundos delati agebant se iustos esse cum Papa Bonifacio colloqui de modis tollendi schismatis: Cum eos Papa non acciendos duceret; Francisco Episcopo Segoviano, quem noverant, & qui Romana in curia agebat, scripsere, ut ipsos adiret. Permisit hoc Papa ea lege, ut audita fideliter indicaret.

§. XII.